



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Assertio Septem Sacramentorum Aduersus Mart. Lutherum

Heinrich <VIII., England, König>

Parisiis, 1562

De Sacramento ordinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30233

ratim inter se dilacerare contendunt.

DE SACRAMENTO

ordinis.



N sacramento ordinis nullo procedit ordine, sed hinc atque inde colligens omnes malitiæ suæ thesauros effundit. animū ostendit egregiè versum ad nocendum, si respondeant vires. proponit multa, afferit atque affirmat pessima: sed omnia sat habens dicere, nihil prorsus vlla ratione confirmat. Qua ex re videre licet insignem hominis impudentiam, qui quum toti credere non dignetur ecclesiæ, nisi rationem reddenti suæ fidei, sibi vt credatur vni, sine ratione postulet, idque de rebus eiusmodi, de quibus quid credat, cognoscere, nisi ecclesia docente, non potest. Et tamen sic postulat sibi credi, quo modo si quis credat, non aliud agat, quàm vt totam confundat atque pessundet ecclesiam. Nam quid aliud molitur, qui conatur tollere sacrosanctum sacramentum ordinis, quàm vt postquam superiorum ministri viluerint, incipiant,

Insignis Lutheri impudentia.

Mackina Lutheri deprehensa.

utpote quæ etiam per viles ministrantur,
 vilescere sacramenta. Quem vnum scopu
 toto petit opusculo. De ordine igitur,
 quia nullo procedit ordine, colligemus
 hinc inde Lutheri dogmata, ut aceruum
 illum malorum lector semel habeat sub
 oculis, quo conspecto non erit (opinor)
 multum infumendum operæ, ut illum co-
 arguamus, cuius impiam doctrinam vide-
 bunt omnes eò recta contendere, ut om-
 nem Christi fidem possit infidelitate per-
 uertere. Quid enim destinat aliud, qui de-
 cernit inter laicos & sacerdotes nullum
 esse discrimen sacerdotij? omnes ex æquo
 presbyteros esse? omnes eandem habere
 potestatem in quocunque sacramento? Sa-
 cerdotibus sacramentorum ministerium
 non nisi laicorum consensu committi. Sa-
 cramentum ordinis nihil aliud esse posse,
 quàm ritum quendam eligendi cõcõnato-
 ris in ecclesia. Quicumque non prædi-
 cat, eum non esse sacerdotem, nisi æqui-
 uoce, quemadmodum homo pictus est ho-
 mo. Qui sacerdos est, rursus fieri posse lai-
 cum. Characterem enim nihil esse. Ordi-
 nem denique ipsum, qui velut sacramen-
 tū homines in clericos ordinat qui præ-

*Observa
 quò tendat
 Lutherus.*

*Lutheri no-
 va dogma-
 ta.*

dicare nesciunt, esse vere, mere, omnino-
que figmentum ex hominibus natum, ni-
hil de re ecclesiastica, de sacerdotio, de
ministerio verbi, de sacramento intelli-
gentibus. Postremo sanctus iste sacerdos
(vt quàm castus ipse sit, coniecturam præ-
beat) tanquam errorem summum, & sum-
mam cæcitatem ponit, & captiuitatē ma-
ximam, quòd sibi sacerdotes indixerint
cœlibem castitatem. Et quum Christus
eos laudet eximie, qui se castrauerunt ob
regnum cœlorum, Antichristus iste spur-
cissimus eosdem comparat euiratis olim
Cybeles deæ sacerdotibus idololatriis. Iã
dudum, scio, aures pij lectoris exhorrent
impium hunc dogmatum perniciosorum
catalogum, quorum ferè quoduis magis
fœrum est hæresibus, quàm fuisse fertur
equus ille Troianus armatis. Sed omniũ
veluti quidam fons est, quòd ordinem ne-
gat esse sacramentum: quo obstructo cæ-
teros necesse est riuulos exarescere. Hoc
sacramentum, inquit, ecclesia Christi igno-
rat, inuētumq; est ab ecclesia papæ. Hæc
pauca verba non paruum habent & fal-
sitate & absurditate aceruum. Nam &
ecclesiam papæ discernit ab ecclesia Chri-

*Sacerdotiũ
cœlibatum
damnat Lu-
therus.*

Matth. 19.

*Lutheri
verba, sed
vide quàm
absurda.
Luthero
alia est pa-
pæ eccle-
sia, alia
Christi.*

si, quum papa sit eiusdem ecclesie ponti-
 fex, cuius & Christus. Ait ecclesiam inue-
 nisse, quod non inuenit, sed accepit insti-
 tutum. Ait ecclesiam Christi hoc ignora-
 re sacramentum, quum satis constet nul-
 lam ferè mundi plagam esse quæ rite pro-
 fitetur fidem Christi, quin ordinem ha-
 beat pro sacramento. Nam si posset obscu-
 rum aliquem angulum reperire (quod opi-
 nor non potest) in quo nesciatur sacrame-
 tum ordinis, tamen angulus ille non esset
 cum reliqua comparandus ecclesia, quæ
 non Christo solum subest, sed & propter
 Christum, vnico Christi vicario papa
 Romano, & ordinem credit esse sacramen-
 tum. Alioqui si persistet in eo Lutherus, ut
 ecclesiam papæ discernat ab ecclesia Chri-
 sti, & apud alteram dicat ordinem haberi
 pro sacramento, non haberi apud alteram,
 proferat illam ecclesiam Christi, quæ cõ-
 tra fidem papalis (vt vocat) ecclesie, igno-
 rat sacramentum ordinis. Interim certe
 perspicuum est, quum dicat hoc sacramen-
 tum ignorari ab ecclesia Christi, & de
 Christi ecclesia dicat eos quibus præsidet
 papa, non esse, vtraque ratione ab ecclesia
 Christi eum segregare non Roman tan-

tum, sed Italiam totam, Germaniam, Hispanias, Gallias, Britannias, reliquasque gentes omnes, quæcunque Romano pontifici parent, aut ordinem pro sacramento recipiunt. Quos populos omnes quum de Christi tollat ecclesia, necesse est ut aut ecclesiam Christi fateatur esse nusquam, aut more Donatistarum, ecclesiam Christi catholicam ad duos aut tres hæreticos redigat de Christo susurrantes in angulo.

Sed velut inuitabile telum promit, quod hoc sacramentum nullam habeat promissionem gratiæ vllibi, ut inquit, positam, cuius sacramenti vel verbo meminisse negat totum nouum testamentum, & ridiculum ait asserere pro sacramento dei, quod à deo institutum nusquam potest monstrari: nec licet, inquit, astruere aliquid diuinitus ordinatum, quod diuinitus ordinatum non est, sed conandum est, ut omnia nobis claris, inquit, scripturis sint firmata. Vtrum in nouo testamento nulla prorsus fiat huius sacramenti mentio, post excutiemus. Interim sic agam cum illo, tãquam nulla prorsus mentio fieret. Nam eodem telo se sperat omnia ferme sacramenta perfodere. Aduersus quod telum

Lutheri ecclesia, ea que dicitur malignantium.

Lutheri verba.

*Lutheri
verba.**Augusti
mus.*

ego in scutum mihi idipsum ferrum cōi-
ciam, quod Lutherus ipse fatetur impe-
netrabile. Sic enim se habent ipsius ver-
ba: Hoc sane habet ecclesia, quòd potest
discernere verbum dei à verbis hominū,
sicut Augustinus confitetur se Euangelio
credidisse, motum autoritate ecclesie,
quæ hoc esse Euāgelium prædicabat. Igi-
tur quum istud habeat (vt Lutherus fate-
tur) ecclesia, quòd verbum dei discernere
potest à verbis hominum: certū est istud
non aliunde haberi quàm à deo, nec ob
aliam causam, quàm ne in his erraret ec-
clesia, in quibus non erratum esse oportet.
Sequitur igitur ex hoc fundamento,
quod nobis subtrahit Lutherus, vt eccle-
sia habeat à deo non id solum quod con-
cedit Lutherus, discretionem verborum
dei à verbis hominum, sed etiam discer-
nendi facultatem, qua in scripturis diui-
nis diuinum sensum ab humano discrimi-
net. Alioqui enim quid profuerit si eccle-
sia (deo docēte) scripturam veram discer-
nat à falsa, & in scriptura vera falsum sen-
sū nō discernat à verò? Denique eadem
ratione & istud sequitur, vt & in his quæ
non scribuntur, ecclesiam suam doceat

deus, ne per errorem possit falsa pro veris amplecti, quum ex ea re non minus impedeat periculi, quam si vel scripturas hominum teneat pro verbis dei, vel è veris dei verbis falsum eliciat sensum, præsertim si falsa suscipiat sacramenta pro veris, & traditiones hominum pro traditionibus dei: immo non traditiones hominum, sed figmenta diaboli, si suam spem in fictis ac vanis corporalium rerum signis, (quæ admodum magi faciunt) Ecclesia Christi velut in Christi sacramentis collocet. Liqueat ergo manifeste ex eo quod fatetur Lutherus ecclesiam hoc habere, vt verba dei discernat à verbis hominum, hoc quoque non minus habere, vt traditiones dei discernat à traditionibus hominum: quum alioqui utrobique possit ex æquo vitandus error exoriri, nec id agat Christus, ne ecclesia sua hoc aut illo erret modo, sed ne erret vlllo. Errare verò maiore cum iniuria Christi non possit, quam si fiduciam in illo ponendam solo, ponat in signis nulla prorsus fultis gratia, sed omni bono fidei vacuis atque inanibus. Non igitur errare potest ecclesia in suscipiendis sacramentis fidei, non magis inquam, quam

*Victus ex
suis ipsius
verbis Lu-
therus.*

errare potest in suscipiendis (qua in re ecclesiam errare non posse fatetur Lutherus ipse) scripturis. Quæ res si se haberet aliter, multa sequerentur absurda: sed hoc in primis, quo nihil esse potest absurdius, quòd pleraque omnia fidei Christianæ dogmata, tot stabilita seculis, ad succrescentium hæreticorum libidinem denuo reuocarentur in dubium. Nam si nihil haberi pro certo debet, nisi quod scripturis & iisdem (vt Lutherus ait) claris firmatum est: non solum non asseremus diuæ Mariæ virginitatem perpetuam, sed & inexhausta suggeretur fidei oppugnandæ materia, sicui vnquam libeat aut nouas excitare sectas, aut resuscitare sepultas. Nā paucissimi fuerunt hæretici, qui non receperint scripturas, sed omnes fere ex eo sua statuebant dogmata, quòd aut ea contenderent esse firmata scripturis, aut quum illis viderentur rationi consentanea, contrarium non de finiri scripturis: quoniam ea quæ proponebantur aduersus suam sectam, aliter contendebant intelligi, quàm orthodoxa intelligebat ecclesia, & ne clara dici possent, aut alio excogitato sensu, aut prolatis aliunde ex eadem scriptura

*Plerosque
omnes hæ-
reticos scri-
pturis nitenti-*

-locis in speciem valde contrariis, omnia
 -sic turbarunt, ut viderentur ambigua. Ita-
 -que aduersus Arrium nisi publica stetisset
 -fides ecclesie, haud scio an defuisset vn-
 -quam de scripturis disputandi materia.
 -Nunc quoniam ex ipsius Lutheri funda-
 -mento probauimus, sacramenta quae cre-
 -dit ecclesia, non aliunde quam à deo po-
 -tuisse constitui, etiam si nihil inde pror-
 -sus in scriptura legeretur, videamus an
 -scriptura tam nullam omnino mentionē
 -faciat huius sacramenti. Omnes vna voce
 -fatentur, apostolos in coena domini ordi-
 -natos in sacerdotes: solus istud Lutherus
 -negat, quum plane constet illic datam po-
 -testatem cōficiēdi corporis Christi, quod
 -solus cōficere sacerdos potest. At non est,
 -inquit ille, sacramentum, quia non fuit il-
 -lis vlla promissa gratia. Vnde id nouit
 -Lutherus? Quia non legitur, inquit. Famī-
 -liaris est ista Lutheri consequentia, Non
 -est in Euangelio scriptum, ergo non est à
 -Christo factum. Quam colligendi formā
 -infirmat Euangelista, quum dicit: Multa *Ioan. 21.*
 -sunt facta, quae non sunt scripta in libro
 -hoc. Sed tangemus tamen Lutherum ali-
 -quanto propius. Eucharistiam concedit

esse sacramentum, quod nisi fateretur, in-
 saniret. At ubi reperit in scriptura pro-
 missam in illo sacramento gratiam? Nam
 ille nihil recipit nisi scripturas, & easdem
 claras. Legatur locus de cœna dominica,
 non reperiet apud vllum Evangelistarum
 in susceptione sacramenti promissam gra-
 tiam. Legitur à Christo dictum, Hic est
 sanguis meus novi testamenti, qui pro
 multis effundetur in remissionem pecca-
 torum. quibus verbis significavit semet in
 cruce per passionem redempturum ge-
 nus humanum: sed quum dixit ante, Hoc
 facite in meam commemorationem: nul-
 lam hoc facienti, id est sacerdoti conse-
 cranti, aut Eucharistiam recipienti, gra-
 tiam ibi promittit, nullam peccatorum
 remissionem. At nec apostolus in episto-
 la ad Corinthios, quum interminetur ma-
 le manducantibus iudicium, vllam men-
 tionem facit de gratia bene manducan-
 tium. Quod si quid ex capite sexto Ioan-
 nis gratiam promittat suscipienti sacra-
 mentum carnis & sanguinis domini, ne
 id quidem quicquam iuuare Lutherum
 potest, quippe qui totum illud caput ne-
 gat ad Eucharistiam quicquam pertinere.
 Videtis

Matth. 26.

1. Corin. 11.

1. Ioan. 6.

Videtur ergo, ut istam promissionem gratiæ, quam pro totius sacramenti fundamento magnificè nobis in toto promissit opere, non potest in eo tueri sacramento, quod fere solum relinquit, nisi (quod necesse habet) præter scripturæ verba recurrat ad ecclesiæ fidem. Igitur quemadmodum satis est nobis quòd in Euangelio legimus, conficiendi sacramenti potestatem commissam iis in quorum locum succedunt sacerdotes: ita satis est quòd ab apostolo legimus cõsiliium datum Timotheo, ut nemini cito manum imponeret. quæ loca plane significant ordinationem sacerdotum, non consensu cõmunitatis fieri, quo solo interueniente fieri sacerdotem posse Lutherus ait, sed sola ordinatione episcopi, idque certa impositione manuum, in qua per exterius signum deus infunderet interiorè gratiã: de qua gratia quid obstat quo minus credam⁹ ecclesiæ dei viui: quæ est (ut ait apostolus) columna & firmamentum veritatis, quãdo eidẽ ecclesiæ necesse est ipse credat Lutherus de gratia promissa in sacramento Eucharistiæ. Nam in hac fide cognoscitur aut illius gratiæ promissio, aut certe sine promissione donatio.

1. Timo. 5.

1. Tim. 3.

Exod. 28.

Demiror profecto tam recordem esse
 quenquam, ut dubitet an sacerdotibus
 Euangelicis in ordine conferatur gratia,
 quum passim legantur plurima que signi-
 ficare videntur etiam veteris legis sacer-
 dotibus gratiam esse collatam. Nam Aaron,
 inquit deus, & filios eius unges, & sancti-
 ficabis eos, ut sacerdotio fungantur mihi.
 Alioqui enim quid profuisset exterior
 sanctificatio in cultum dei, nisi deus pari-
 ter infudisset gratiam, qua sanctificaren-
 tur interius? atque id quoque per Chri-
 stum, cuius venturi fides, robur & vim po-
 tuit indidisse sacramentis precedentibus,
 sicut capacem fecit populum Iudaicum
 consequendæ aliquando salutis æternæ.
 Verum si quis id non admittat, veteris le-
 gis sacerdotio collatam gratiam, certe nõ
 est cur grauetur tamen admittere gratiam
 sacerdotibus Euangelicæ legis infundi,
 quia iam per Christi passionem venit ple-
 nitudo gratiæ.

Acto. 13.

*In sacra-
 mento or-
 dinis con-
 ferri gra-
 tiam.*

In actis apostolorum, quum Barnabas
 ac Paulus segregarentur in opus in quod
 eos spiritus sanctus accersuit, non ante
 dimissi sunt, quam impositis manibus or-
 dinati sunt. At cur obsecro manus eis im-

posuerunt apostoli? an ut corpus inani tactu pulsarent, nulla spiritali gratia prodesse anima? Quomodo potest ergo Lutherus hoc sacramentum dicere ecclesie Christi esse incognitum, quo nulla natio Christiana non utitur? Quomodo potest appellare nouum, quod instituit Christus? quod in usu habebant Apostoli? At nunquam (inquit) appellatum est sacramentum apud veteres doctores vsquam, excepto Dionysio. Nihil enim prorsus in reliquis patribus de istis sacramentis legimus (inquit) nec sacramenti nomine censuerunt; quoties de his rebus locuti sunt. Recens enim est inuentio sacramentorum. Egregia sanè ratio est ista Lutheri, quæ & manifeste falsa est: & si forte vera, nihil tamen efficeret. Nam si veteres de re fortassis olim non controuersa nihil scripserunt omnino, aut si quum scriberent aliquid, rem proprio tamen, non communi sacramentorum nomine designassent, non necessario colligeretur ex eo, aut ordinem non fuisse prorsus, aut non fuisse sacramentum. Nam si quis baptismum uocet baptismum, nec addat sacramentum, dicetur ideo non habuisse ba-

*Cōfutatur
ratio Lu-
theri.*

ptissimum pro sacramento? Præterea si solus ex antiquis patribus Dionysius ordinem scriberet esse sacramentum, vel satis esset ad euertendam Lutheri obiectionem, qua videri vult inuentionem sacramentorum nouam esse. repugnat enim esse nouum, quod ab illo fatetur scriptis comprehensum, quem fatetur antiquum. Atque istud quidem verum esset, etiam si talis esset sacer Dionysius, qualem eum depingit sacrilegas Lutherus, qui ferme nihil in eo dicit esse solidæ eruditionis, nihil eorum quæ scribit, aut autoritate quicquam, aut ratione probari, sed omnia esse illius meditata, ac propè somniis simillima, quæcunque in ecclesiastica Hierarchia. In theologia mystica, quam sic instant (inquit) ignorantissimi quidam theologistæ, est (inquit) etiam perniciosissimus, plus platonizans, quam christianizans. In qua, inquit, Christum adeo non discas, vt etiam si scias, amittas. Expertus (inquit) loquor, hoc est (vt opinor) expertus est ibi se Christum perdidisse. Demum in ecclesiastica Hierarchia quid facit, inquit, nisi quòd ritus quosdam ecclesiasticos describit, ludens allegoriis?

Sacrilegi Lutheri cōsumelia in sacrū Dionysium.

Denique ut ostenderet in re quam leui-
 dius Dionysius luderet operam, An
 mihi putas, inquit, difficile esse, in qua-
 libet re creata allegoriis ludere? Mihi
 non fuerit operosum meliorem Hierar-
 chiam scribere, quam Dionysij sit. Quis
 patienter ferat in viri sancti pios labo-
 res sic debacchantem rabulam, quæ ve-
 re meritoque in sui similem debacchare-
 tur hæreticum? Nam & indoctum vocat,
 & ludicrum, & scribentem non tantum
 somnia, sed etiam perniciofa, & Chri-
 stum destruente dogmata. Quæ tamen om-
 nia conuicia sancto viro cedunt in glo-
 riam, cuius opera omnia vel hoc abun-
 de demonstrat esse bona, quod viro ma-
 lo displiceant. Nam quæ consortia luci
 cum tenebris, Christo cum Belial? At
 quod è piis viri sancti libellis nihil pie-
 tatis hausit, impium ipsius caput erat in
 causa, quandoquidem vere scribit Hora-
 tius: Sincerum est nisi vas, quodcunque
 infundis, acescit. Nam quod ait sibi non
 operosum esse meliorem Hierarchiam
 scribere, quam fuerit illa Dionysij: post-
 quam scripserit, tum istud iactitet. In-
 terca verò rem aggreditur multo magis

*Ad Luthe-
 rum (si Lu-
 thero cre-
 das) nihil
 est diuus
 Dionysius.*

Horatius.

Affertio

operosam, Hierarchiam alteram, quæ supra firmam fundata est petram, demoliri.

Longius aliquanto nos auexit indignatio, qua moleste ferimus, in virum sanctum ab impio euomita tam contumeliosa conuicia. Verùm, vt cœpi dicere, etiam si solus Dionysius docuisset ordinem esse sacramentum, suffecisset illud ad reuincendum Lutherum, asserentem nouam esse inuentionem sacramentorum, quum Dionysium non solum Lutherus fateatur antiquum, sed & totus orbis Christianus veneretur vt sanctum. Cui quod Lutherus irascitur, non aliud facit, quàm sola malitia, qua nihil ferre potest, quod impiis ipsius hæresibus aduersatur. At nunc vt plane liqueat quàm vanus vndique sit Lutherus, ostendam non solum Dionysium, sed etiam Gregorium, & quem sibi patronum Lutherus mentitur Augustinum, ordinem habuisse pro sacramento. Præterea characterẽ (quem Lutherus irridet) indelebilem, etiam si non vocetur nomine, re tamen aperte describi & ab Hieronymo in sacramento baptismatis, & rationem eius haberi ab Augustino in vtroque sacramento, tam ba-

*Lutherus
car irascitur
Dionysio.*

pti sui, quàm ordinis. Incipiam igitur à Hieronymo de caractere baptismatis, vt appareat manifestius character ordinis, quem & Augustinus & Gregorius ob indelebilem characterem cum baptismo comparant. Igitur super illa Pauli verba ad Ephesios, Nolite contristare spiritum sanctum dei, in quo signati estis in die redemptionis, Hieronymus in hunc scribit modum: Signati autem sumus spiritu dei sancto, vt & spiritus noster & anima imprimatur signaculo dei, & illam recipiamus imaginem & similitudinem, ad quam in exordio conditi sumus. Hoc signaculum sancti spiritus, iuxta eloquium saluatoris, deo imprimente signatur. Hunc enim, ait, signauit pater deus. Et paulo post, Idcirco signatur, inquit, vt feruet signaculum, & ostēdat illud in die redemptionis purum atque syncerum, & nulla ex parte mutilatum, & ob id remunerari valeat cum iis qui redempti sunt. Quicumque scripsere de sacramentorum caractere, nullis vnquam verbis apertius expressere characterem (quom animæ per sacramenta imprimit deus) quàm verbis his beatus expressit Hieronymus, non ha-

Ephe. 4.

Hieronymus pro caractere.

mano figmento (vt Lutherus firgit, sa-
 cramentorum execrandus irrifor) sed so-
 lidis scripturæ sacræ testimoniis. Chara-
 cter enim est illa qualitas animæ, quam
 deus sibi notam, nobis incogitabilem,
 imprimit in signaculum quo suum gre-
 gem discernit ab alienis. quod signacu-
 lum etiam si vitiiis maculent, & è candi-
 do reddant atrum, ex integro mutilum,
 è purissimo reddant impurum, nunquam
 tamen ita poterunt eradere, quin illo cha-
 racteris impressi signaculo, in cuius gre-
 gem signati sunt, orbi toti mancant in
 iudicij die cognobiles. Nec alia ratio-
 ne tam constanter obseruat ecclesia, vt
 quum alia sacramenta toties iteret, (quod
 in Eucharistiæ sumptione facit ac pœni-
 tentia, coniugio, & vnctione languen-
 tium) baptisma, confirmationem, atque
 ordinem nunquam iterari permittat. In
 iis enim sacramentis, sancto docente spi-
 ritu, didicit ecclesia characteris conferri
 signaculum: quod quum deleri non pos-
 sit, iterari non debeat. Sed vt manifeste
 pateat, ordini hac in parte parem esse
 cum baptismo conditionem, audiamus
 quid ait Gregorius. Quod dicitis (inquit)

*Character
 quid sit.*

*In quibus
 sacramen-
 tis impri-
 matur cha-
 racter.*

Gregorius.

vt qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est. Vt enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet: ita qui consecratus est semel, in eodem ordine non valet iterum consecrari. Videtis vt ordinis sacramentum non magis iterari patiatur ecclesia, quàm sacramentum baptismatis. quæ res, vt dixi, pendet ab indeleto caractere. Qua de re vt os obstruamus Luthero, ne rursus obganniat figmentum esse caracterem, & solum ex antiquis Dionysium, ordinem vocasse sacramentum: subiungemus, vt polliciti sumus, hac de re etiam diui Augustini sententiam. Is igitur quum de baptismo & ordine differit, in hunc modum scribit: Vtrunque enim sacramentum est, & quadam consecratione vtrunque homini datur: illud quum baptizatur, & istud quum ordinatur. Ideo non licet in ecclesia catholica vtrunque iterari. Nam si quando ex hæreticorum parte venientes etiam præpediti, pro bono pacis, correcto schismatis errore suscepti sunt, etsi visum est opus esse, vt eadem officia gererent, quæ gerebant, non sunt rursus ordinandi, sed sicut baptismus in eis, ita mansit ordina-

Augustinus.

Non esse iterandum ordinis sacramentum.

tio integra, quia in præcisione fuerat vitium, non in sacramentis, quæ ubique sunt, ipsa sunt. Et paulo post: Neutri sacramento fienda est iniuria. Et addit de sacramento ordinis, Sicut non rectè habet, qui ab unitate recedit, sed tamen habet: sic etiam non rectè dat, qui ab unitate recedit, & tamen dat. Et rursus ad utrumque reuersus adiecit: Nō ergo ideo non sunt sacramenta Christi & ecclesie, quia eis illicitè vtuntur non modo hæretici, sed etiam omnes impij: sed illi corrigendi sunt, & puniendi, illa autem sunt agnoscenda & veneranda. Videtis nunc quàm verum sit illud quod Lutherus tanta iactauit audacia, sacramentum ordinis ecclesiam Christi nescire, Characterem inane figmentum esse, Sacramentorum inuentionem nouam esse, Ordinem veteribus non habitum pro sacramēto. Quorum omnium nihil dixit, quod non videtis eorum testimonio reprobatum, quos neque de Christi ecclesia potest eximere (vt pote quam illi & doctrina fidei, & exemplo virtutis illustrarunt) neque inter nouos numerare, nisi talis sit, vt ei mille sint anni tanquam dies vnus. Sed ille ta-

men aduersus omnes omnium rationes,
 authoritatem, fidem, vno se tuetur argu-
 mento: Omnes, inquit, sumus sacerdotes,
 secundum illud Petri, Vos estis regale sa-
 cerdotium, & sacerdotale regnum. Sed
 alius alio non potest magis esse sacerdos,
 quemadmodum alius alio non potest ma-
 gis esse homo. Igitur sacerdotes qui vo-
 cantur, nihil sunt aliud, quàm laici qui-
 dam solo vel consensu populi, vel episco-
 pi uocatione non absque populo delecti
 ad concionandum: & ordo nihil est aliud,
 quàm merum sine sacramento ministe-
 rium. Recensuimus eius argumentum nõ
 solum fideliter, sed etiam liberaliter adii-
 cientes quod fulciat: & tamen cui non
 excusiat risum, tam hebes theologantis
 argutia? Nam si ideo nihil est ordo sa-
 cerdotij, quia quilibet Christianus est
 sacerdos: eadem ratione sequeretur, vt ni-
 hil supra Saul habuerit Christus. Nam
 & de Saul dixit Dauid: Peccaui tangens
 Christum domini. Nihil habuerit Chri-
 stus supra quenquam eorum de quibus
 dictum est: Nolite tangere Christos meos.
 Nihil deniq; supra quenquam deus, eo-
 rum omnium de quibus per prophetam

*Lutheri
 verba.
 1. Petri. 2.*

*Lutheriani
 sacerdotes
 laici.*

*Plumbea
 Lutheri ra-
 tio.*

1. Reg. 24.

Psal. 100. dixit ipse: Ego dixi, dii estis, & filij excelsi omnes. Postremò, qua ratione Christiani omnes sacerdotes sunt, eadem etiam ratione reges sunt. Nō enim solum dicitur, Vos estis regale sacerdotiū, sed etiā sacerdotale regnū. Sedulò considerandum est, serpens iste quid destinet: quem ego certe callidiorē puto, quàm ut vilius esse nomeni putet tam frivolum argumentum, sed qui tantum ideo lambit, ut mordeat. laicos ideo tollit in sacerdotiū, ut sacerdotes redigat in classē laicorum. Nam sacramentum esse negat, & ritum tantum esse dicit eligendi concionatoris. Nā qui non concionantur, nihil minus ait esse quàm sacerdotes, nec aliter sacerdotes esse, quàm homo pictus est homo: contra Paulum apostolum, qui ad Timotheum scribens ait: Qui bene præ sunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Apostolus hoc manifeste docet, quanquam ij præcipue duplici honore digni sunt, qui quum presbyteri sint, laborant in verbo & doctrina: tamen & qui hoc non faciunt, non solum esse presbyteros, sed bene præesse posse, & duplicē quoq; honorē pmereri.

Nemo Lutherus rex, quia illicem res sunt reges.

Lut. verba.

Timot. 5.

alioqui nō dixisset, maxime qui laborant
 in verbo & doctrina, sed solum ij qui la-
 borant in verbo & doctrina. Præterea ne
 possit dicere Lutherus, id quod dicit, of-
 ficiū sacerdotis erga populum nihil es-
 se nisi prædicare, nam missas, inquit, ca-
 nere, nihil est aliud, quàm communicare
 seipsum: hoc inquam vt appareat quàm
 falsum sit, rursus audiamus Apostolum.
 Omnis, inquit, pontifex ex hominibus as-
 sumptus, pro hominibus constituitur in
 iis quæ sunt ad deum, vt offerat dona &
 sacrificia pro peccatis. An non apostolus
 aperte declarat, etiam pontificis officium
 istud poscere, vt pro hominibus offerat
 sacrificium deo? quod quum scribat, quan-
 quam Hebræis, tamen Christianis, quos
 nolit iudaizare, clarum est loqui de pon-
 tifice legis vtriusque: atque ideo bis Lu-
 therum suo premere testimonio. Nam &
 missam docet esse sacrificium, & offerri
 pro populo, quū ecclesia nullum offerat
 aliud: & docet offerendi officium præcipuam
 partem esse muneris pontificis. Et certe,
 nisi falsum esset quod dicit Lutherus, faci-
 le videtis consequi, vt quum nemo nisi sa-
 cerdos possit cōsecrare corpus domini, si

Lut. verba

Ad hebr. 9.

Affertio

È tot sacerdotum millibus, qui concionari nesciunt, nullus vere sacerdos est, sed tantum vocatur equivoce, quæ admodum homo pius vocatur homo: totus Christianus orbis deum populumque ferme non habet aliud, quam idololatrias, panem pro Christo colentes, & genua sua curvantes ante Baal.

In eligendi (vt vocat) ritu, præcipuum ius tribuit populo. Nam licet vno loco tribuere videatur episcopo aut populo ius promiscuum, quum dicit quod quamquam certum sit omnes Christianos æqualiter esse sacerdotes, & eandem in verbo & sacramento quocunque habere potestatem, non licere tamen quenquam hac ipsi vti, nisi consensu communitatis, aut vocatione maioris: alio tamen loco superiores partes tribuit populo, quum de sacerdotibus dicit: Qui si cogentur admittere nos omnes æqualiter esse sacerdotes, quotquot baptizati sumus, sicut reuera sumus, illisque solum ministerium, nostro tamen consensu permissum, scirent simul nullum eis esse super nos ius imperij, nisi quantum nos sponte nostra admitteremus.

Quæ duo loca si conferantur, ostendunt hoc sentire Lutherum, ut populus absque episcopo possit ordinare sacerdotem, episcopus sine populi consensu non possit, quum dicit sacerdotibus solū ministerium, nec id tamen nisi populi consensu permissum. Nam si hoc verum est, sacerdos fieri nisi populi consensu nō potest, cuius cōsensu solo dicit olim præfectos ecclesiis episcopos. Negari nō potest (inquit) ecclesias olim à senioribus fuisse rectas absque istis ordinationibus & consecrationibus, propter ætatem & longum rerum usum in hoc electis. Lutherus ubi ista reperit, ostendat ipse: mihi interim vera non videntur. Nam si laicus quisque æqualem habet potestatem cum sacerdote in quocunq; sacramēto, & ordo sacerdotij nihil est, cur ita scribit Apostolus Timotheo: Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij. Et alibi ad eundē: Admonco te, ut resuscites gratiam dei quæ in te est per impositionē manuum mearum. Iterum: Nemini, inquit, citò manus imposueris, neq; communices peccatis alienis. Deniq; hunc in

*Lut. verba
Sacramētū
ordinis pro
planat Lu
therus:*

*1. ad. Ti. 4.
Adversus
Lutherum
Paulus.*

Ad Titum. 1. modum Apostolus scribit ad Titum: Hu-
 ius rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ
 desunt, corrigas, & constituas per ciuita-
 tes presbyteros, sicut & ego disposui ti-
 bi. Habes nunc lector, semel sub oculis
 Apostoli pauca loca, & non multa verba,
 quibus inter se collatis, facile potes depre-
 hendere falsa fictaq; esse omnia quibus tã
 inordinate Lutherus debacchatur in or-
 dinẽ. Nam quos dicit populi consensu fieri,
 Paulus ostẽdit fieri ab episcopo, quẽ in
 hoc ait se reliquisse Cretæ, ut oppidatim
 presbyteros constitueret, nec tamẽ teme-
 re, sed sicut ipse præsens disposuerat. Vi-
 des, impositis manibus fieri sacerdotẽ. Et
 ne dubitari possit simul cõferri gratiam,
 vides illam manuum impositione collatã.
 Resuscita, inquit, gratiam quæ data est ti-
 bi per impositionem manuum mearum.
 Et illud quoque: Noli negligere gratiam
 quæ in te est, quæ data est tibi per proph-
 etiam, cum impositione manuum presbyte-
 rij. In his te exerce. Miror igitur non pu-
 dere Lutherum, quum negat sacramentũ
 ordinis, haud ignarus in manibus om-
 nium versari verba Pauli, quæ doceant
 non nisi a sacerdote fieri sacerdotem, nec
 sine

*Sacerdotes
 non nisi ab
 episcopis fie-
 ri.*

*In sacramẽ
 to ordinis
 cõferri gra-
 tiam.*

*Quantum
 deliravit
 Lutherus.*

sine consecratione fieri: in qua & signum adhibeatur corporeum, & tantum spiritalis infundatur gratia, ut is qui consecratur, non solum accipiat ipse spiritum sanctum, sed etiam potestatem conferendi aliis. Nouum vero qui potest esse, quamquam id Lutherus ait, de quo scribit apostolus? Quomodo ignoratum ecclesiae, quod in omnibus Christi legitur & nunquam non legebatur ecclesis? Quibus ex rebus manifestum est, è tam multis quæ tanta cum confidentia pro compertissimis Lutherus eblaterauit in ordinem, ne vnam quidem syllabam fuisse veram, sed per malitiam ficta falsaque omnia.

DE SACRAMENTO EXTRE- MÆ VNCTIONIS.

IN sacramento extremæ vnctionis Lutherus bis ipse irridendus, bis irridet ecclesiam. Primum, quod theologo, ut ait, hanc vnctionem appellant sacramentum: quasi soli hoc dicant ij quos ille vocat theologos. Deinde, quod appellant extremam. Et quod ad secundum pertinet, obiicit sibi tanquam